

ac Rerumpublicarum caduceatoribus Magnis
diu agitata felicitan dem exitu terminavit, & orbi
Christiano pacem redonavit, quâ nihil salubrius,
& quâ, quicquid in temporariis bonis pulchrum
& optabile est, continetur. Pro hoc beneficio, cu-
jus tanta est magnitudo, ut illi neq; æstimando
omnis ferè humana cogitatio par, & celebrando
omne os infans ac hebes esse videatur, DEO. O.
M. decreto Prudentissimi Senatus nostri, gratias
publicè & quàm maximâ celebritate die abhinc
octavo ab Ecclesia actas esse, probè meministis.
Cæterum ut etiam Schola nostra sibi de hoc tan-
to DEI beneficio gratulari, ac vota sua cum Eccle-
siæ votis conjungere videatur, Carmen Eucharis-
ticum de hac ipsa Pace Publica, ac muneris hujus
à DEO nobis concessi magnitudine composui,
illudq; DEO volente, cras manè hora IX. in Au-
ditorio Cathariniano recitare decrevi. Cui rei ut
Magnifici & Nobilissimi Dnn. COSS. Plurimum
Reverendus Clarissimus & Excellentissimus Dn.
Superintendens. Nobiliss. Consultiss. & Experi-
entiss. Dnn. Syndici & Doctores: Reverendi &
Clarissimi Dnn. Pastores & Symmystæ: Pruden-
tissimi hujus Reipubl. Dnn. Senatores ac Secreta-
rii;